



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Lvdgervs Episc. 26. Martij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

S. LVDGERVS EPISC. 26. Martij.

Cælo prius quàm lucem aspiceret, charum esse LVDGERVM apparuit. Palus enim per cadentis matris latus egressus, cum mortem illaturus utrique crederetur, obstetricis instar fuit. Vix verba fingere blæsa, vix gressum firmare scivit, cum magnam in parvulo indolem studia proderunt. Neque enim ille, ut amet ea ætas, ludicris delectari, sed jam tum seria agere, & vel cortices in libros concinnare, vel lectitanti similis aut scriptitanti assidere. Quare compellatus à nutrice, qui diem transegisset, vel libros, respondit, scribendo vel legendo scriptos. Iterum quo magistro usus esset, rogatus, Deo, subjecit. Talem in familiaritatem suam Musæ, & in ipsa adyta sapientiæ admiserunt, quam ut in alios effunderet, ad Frisones Saxonesque contendit: Episcopus Monasterii primus Cœnobium etiam Werdense extruxit, & cum nemora densa obsisterent, ad hæc excindenda famulis ventis est usus, qui noctu everfis latè arbutis, aream amplam ædificio pararunt, unâ tantum arbore relictâ, quæ precantè LVDGERVM texerat. Illud etiam memorabile. Carolum M. cui impiis charus erat, tertio vocatus, dum preces, quas Canonicas dicimus, recitaret, neglexit adire, & appellatus eâ de re, respondit cum majore Principe sibi colloquium fuisse. Atque hæc, quæ offenderet delicatorem ætatem nostram, libertas, chariorem etiam Carolo fecit, meruitque hic, dum astra, Alcuino doctore usus, contemplatur, novam stellam in cælo videre, LVDGERVM mortuum. Ex Surio & Lippelo.

Verè breve est, omnino tempus. Infelix proinde qui

in vita huius lubrico fidens perituram insumit operam, nec advertit, quoniam vapor est admodicum parens, & vanitas vanitatum. S. Bern. in sent.

S. RVPERTVS EP. 27. Martij.

Sanguinem suum, quem ad Franciæ Reges Duceſque Hiberniæ referebat RVPERTVS, tum nobilem eſſe probavit, quando Vangionum Episcopus virgis servilem in modum per urbem caesus, & in exilium est actus. Sed nobilissimo exuli dignum domicilium patuit, Bojaria. Huc evocatus in exilium inde superstitionem misit, & primus ferè Boiis patriam suam cælum ipse exul ostendit, regemque primò Theodonem, tum proceres, mox populum magno numero sacro fonte lustravit. Abhinc sedem & arcem sacrorum Iuvaviæ (quæ hodie Salisburgum est) posuit, mox Cœnobium hîc templumque D. Petro, alterum dein montibus, idque D. Maximiliano sacrum, velut præsidium sanctæ religionis imposuit, prodigiosis ignibus tunc nobile. Sub hæc in patriam magnis itineribus contendit, novasque auxiliares copias viros XII. adduxit, sui planè, ut aliud nihil dicam, simillimos. His adjuvantibus bellum sanctum, totam penè Bojariam Christo subegit, templaque velut propugnacula pietatis plurima passim extruxit. Inter hæc utique & pulcherrimum ornamentum patriæ, & firmissimum munimentum Ædes veteris Oeringæ numeratur, DEIPARÆ sacra; ut quando huic omnia se debere Boii faterentur, multum profectò etiam RVPERTO debeant, qui Regionis tutelam, eam VIRGINEM inquam, princeps conciliavit. Obiit anno DC. XXVIII. fati sui certus & dici. Parentare lacrimis omnes